

VI.

II. *Ineptâ futuri delineatione.* Concipiunt Calviniani futurum abstractè sumptum pro re quâdam incomplexâ & simultaneâ, quæ extet ab æterno extra suam causam, decretum scil. divinum, & ita negant, futurum habere posse suam determinationem à causâ in tempore modo operaturâ, cum ab æterno verum sit, rem esse futuram, causa autem illa non sit æterna, sed in tempore; & in hoc invento mirè sibi placent *Dominicani, & Reformati*, cui deinceps totam doctrinam de Necessitate Decreti prædeterminantis superstruunt; sed dolendum est, tot & tantos Viros tantas fovere hæcenus potuisse ineptias, easque adhucdum continuare. *Futurum est complexum quid & successivum*, complectitur enim duo contradictoria: dum enim dico, Christus venturus est ad Judicium, duo involvo, primò *Christum nondum venisse* ad Judicium; secundò, *ejus Adventum olim & suo tempore locum habiturum*, & hæc ratione, si Adventus Christi futurus adæquatè & in totâ suâ latitudine consideretur, ejus futuritio duabus absolvitur partibus, *careniâ scil. existentia*, quod enim futurū est, id nondum est præsens, & *existentiâ postea suo tempore locum habiturâ*; positis his, constat tò futurū in Adventu Christi non existere adæquatè die hodierno, quia *hodiè tantum præsens est & existens* prior ejus pars, scil. *absentia Adventus*, altera autem pars, *actualis scil. existentia* non est præsens, sed *expectanda*. Est quoque futurum *successivum* quid, nam ut ab æterno, tempore Adami, Patriarcharum, ante mille annos imò heri potui dicere, futurus erat Adventus Christi, ita hodiè adhucdum futurus dicitur, diciturque futurus pluribus post annis, usque dum actu ingruat. Non ergo futurum debet existere extra causas suas, & esse aliquid jam productum, dum est futurum, quia *futurum essentialiter respicit rem carentem quidem pronunc existentia suâ, eam autem suo tempore actu habituram*. De Impœnitentiâ Galilæorum ab æterno poterat dici, quod sit futura, ejus autem futuritio adæquatè & totaliter non existebat ab æterno, ideoque neque debuit habere causam producentem ab æterno, sufficit, eam prævisam esse, ut *actu olim à Galilæis exercendam*, nam posito hoc, quod actu Galilæi impœnitentiam fuerint